

IEHOVAE

Vni, & Trino,

PRO CONDITA, CON-
SERVATA, EVANGELII LVCE
ILLVMINATA, CONSERVANDAQVE
Academia Tubingensi.



*U*AE te lingua satis celebret, ter sancte, triune,
Omnipotens, sapiens, & sine fine DEVS?
Tu DEVS ille, Pater superi tu luminis, à quo
Perfectum, summum defluit omne bonum.
Tu genus humanum summa bonitate creasti,
Hinc regnum cupiens augmen habere tuum.
Tu genus hoc à te, Satanae molimine, lapsum,
Fecisti NATI surgere morte tui.
Venit hic in terras: homo factus, & omnia passus,
Nos dedit amissum rursus habere locum.
Quinetiam totum Legatos misit in orbem,
Omnibus hoc tantum significare bonum.
Tu pro nativo legisti germine germen
Externum, Gentes in tua regna vocans.
Tu collecturus per & hac tibi climata coetum,
Qui coleret Nomen, diligeretque tuum:
Huius agri Domino monisti pectus, ut vrbe
Conderet hac celsam, proueheretque Scholam.
Condidit, & magnis hanc libertatibus auxit:
Fouit: progressum fecit habere suum.
Fecit ut hanc Heres omnis suus usque foueret:
Id clementer agunt: haectenus hancque fouent.
Hoc verò reliquis benefactis omnibus unum
Praestat, ab ULRICI quod Ducis amne fluit.
Nempe quòd expulsis è relligione tenebris,
Sit Verbi radijs lucida facta tui.